

longo tempore, injuste detinuerant, et ab eadem Ecclesia illicite alienata fuerant, eidem Ecclesie reddidit; ita quod ipsa Ecclesia terragium cum dominio in ea plenarie habeat, et decima illius terre, sicut ceterae decimae, communis habeatur. Quitavit etiam dictus Johannes prelibate Ecclesie partem decimae, quam habebat in campo, qui adjacet strate de Manpré, extra dictos terminos, et quicquid juris se habere vel habiturum dicebat in omnibus, tam terris, quam nemoribus, quae circumquaque adjacent sepedicto termino. Concessit etiam quod garbe, quae de territorio illo vel quibuscumque aliis territoriis per famulos suos et Ecclesie communiter ad grangiam suam adducentur, ut omnis suspicio deleatur, sub certo numero et tallia ibidem recipiantur et reddantur. Hanc autem conventionem se firmiter observaturos, tam ipse J. quam Lucia uxor ejus, fide data in manu nostra, firmaverunt. Ut autem haec compositio, inter eos facta, firma et stabilis in posterum permaneat, eam in scriptum redigi et sigillo nostro fecimus confirmari. Actum anno gratiae M^o CC^o VI^o.

Cartul. de Saint-Corneille de Compiègne. Arch. Nat. LL 1623, p. 565, ch. CCCLVII.

IE.

Jehan d'Andely, chevalier, reconnaît n'avoir aucun droit sur les marais de Sacy-le-Petit, qui sont entre Bazicourt et Houdencourt.

1231.

Ego Johannes de Andeliaco, miles, notum facio omnibus presentibus pariter et futuris, quod cum contentio mota fuisset, inter me ex parte una, et viros venerabiles religiosos, Abbatem et conventum Compendien. ex alia, super quadam parte mariscorum de Sacceio Parvo, versus Basincort, quam partem ad me et heredes meos pertinere dicebam; tandem habito cum bonis viris diligenti tractatu et consilio, intellexi et cognovi me; vel heredes meos, nihil juris habere penitus vel domini sive proprietatis in omnibus mariscis Sachei Parvi, qui sunt inter Basincort et Houdencort. Et quia mihi constitit et hoc ipsum recognosco, quod ipsi Abbas et conventus dictus omnes mariscos tenent a domino rege; ne, inter eosdem Abbatem et conventum et me aut heredes meos, aliqua exinde possit de cetero conten-

tio suboriri, de assensu meo et dictorum Abbatis et conventus, per viros venerabiles et religiosos, Nicholaum, priorem sancti Lupi de Esserento, Robertum monachum Compendiensem et dominum Ansoldum de Faiel, mete fuerunt posite, dictos mariscos a villa de Basincort et terris aliisque compositionibus, ad me et homines sive hospites meos pertinentibus, distinguentes. Ut hec igitur futuris temporibus rata permaneant et illibata, presentes litteras fieri feci et sigilli mei munimine roboratas dictis Abbati et conventui tradidi in perpetuum testimonium et munimen. Actum anno gratie M^o CC^o XXXI^o.

Cartul. de Saint-Corneille de Compiègne. Arch. Nat. LL 1623, ch. CCCLXVIII, p. 576.

IF.

Raoul, seigneur de Revetel, reconnaît n'avoir aucun droit de chasse au Bois d'Ageux et au Petit-Raray.

Septembre 1231.

Ego Radulphus Revetiaus, miles, de Houdencort, filius bone memorie Hugonis Revetel, militis, omnibus presentes litteras inspecturis, in Domino salutem. Noverit universitas vestra, quod cum Hugo quasdam consuetudines clamaret in bosco Beate Marie Compend. de Ageu et in ejus territorio, scilicet cercheiam et cacheriam, Abbate et monachis ejusdem Ecclesie hoc negantibus, tandem ego, super his habito consilio et inquisita plenius veritate, intellexi et cognovi me, vel heredes meos, nullam cherchiam, vel chaceriam, sive aliam quamlibet consuetudinem vel justitiam habere in dicto bosco de Ageu vel ejus territorio, nec etiam in territorio in quo fuit nemus, quod antiquitus appellabatur Raray, et pertinet ad domum de Ageu, que est Ecclesie memorate; promittens, fide interposita, quod super his dictam Ecclesiam de cetero non molestabo, et quod plenam garantiam feram eidem Ecclesie contra fratrem meum Petrum, si amdictam Ecclesiam super his molestare voluerit. Quod si aliquis aliud super premissis molestare sepedictam ecclesiam et ad legem et justitiam venire voluerit, legitimam eidem Ecclesie garantiam portabo.

Quod ut ratum in perpetuum permaneat, presentem paginam memorate Ecclesie Compendiensi tradidi sigilli mei munimine